

DISSERTATIO PHYSICA,  
DE  
INTERPOLATIONE  
PRO DETERMINANDA VITRI  
DILATATIONE A CALORICO,

---

QUAM  
CONSENT. AMPL. FAC. PHILOS. REG. ACAD. ABOENSIS,  
PRÆSIDE  
MAG. GUST. GABR. HÅLLSTRÖM,  
PHYSICES PROFESS. REG. ET ORDIN. ATQUE REG. SOCIET.  
OECON. FENN. MEMBRO,

PRO GRADU PHILOSOPHICO  
P. D.

PETR. CHRIST. SNELLMAN,  
OSTROBOTNIENSIS.

IN AUDITORIO MINORI DIE XVI DEC. MDCCCI,

*Horis a. m. consuetis.*

---

ABOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS.

V I R O

PLURIMUM REVERENDO ATQUE PRÆCLARISSIMO,

D O M I N O

J OHANNI S N E L L M A N ,

PASTORI ECCLESiarum, QUÆ DEO IN HYRYSALMI  
COLLIGUNTUR.

*In tessera m pietatis numquam intermoritur æ*

filius obedientissimus

PETR. CHRIST. SNELLMAN.



Physicis ullius instrumenti vix frequentior est usus quam Thermometri, quod itaque quomodo perfectum, quantum fieri posset, consideretur, plures docuerunt. Et quidem omnes in ea re convenire videntur, quod statuant, illud esse consciendum ex vitro, quod inter plura rigida corpora ab aucto calorico minimum dilatari compertum est, ut omnis sere, quae in eo observetur pro diversis caloris gradibus variatio, a dilatatione materiae praecipue fluidae vitro inclusae, non autem notabiliter ipsius vitri, pendeat. In plerisque itaque observationibus thermometricis parva adeo assumitur dilatatio vitri, ut quasi evanescens respectu dilatationis fluidi inclusi consideretur. Non autem omnino esse in hac re negligendam vitri expansionem vel inde patet, quod revera existant phænomena in Thermometro observata, quae a diversa vitri et fluidi dilatatione derivantur. Sic v. gr. descensus fluidi thermometrici initialis, quando repente frigescit Thermometrum, ob dilatationem vitri celeriorem quam fluidi effici recte contenditur(\*).

A

Ob

---

<sup>\*)</sup> Cfr. GEOFFROY in *Mem. de l'Ac. R. des Sciences de Paris ann. 1700*, p. 153. AMONTONS *ibid. ann. 1705*, p.

Ob neglectam qvoqve considerationem dilatationis  
vitri nondum omnem veritatem plurium Physicorum  
assertioni: aqvam distillatam circa gradum quintum  
supra punctum congelationis aqvæ in Thermometro  
Celsiano maxime esse condensatam, concedunt alii (°) Qvando autem hanc rem examinaturi com-  
putare voluimus, qvanta pars observatarum varia-  
tionum Thermometri dilatationi vitri et qvanta li-  
qvidi tribuenda eset, nullibi invenimus observatio-  
nes in dilatationem vitri pro illis gradibus caloris  
institutas, de qvibus præcipue erat qvæstio, cumqve  
nullum nobis fuerit Pyrometrum, qvo metiri posse-  
mus expansionem vitri, ex qvibusdam aliorum ob-  
servationibus, qvas accuratisimas judicavimus, per  
interpolationem inveniendas esse putavimus dilata-  
tiones pro gradibus Thermometri intermediis. Me-  
thodum antem, qva usi sumus ad inveniendam for-  
mulam interpolationi infervientem, cujus ope dilata-  
tio-

---

100. HOMBERG *ibid ann. 1710*, p. 563. G. B. EULF-  
FINGER in *Commentar. Acad. Scient. Imper. Petrop. T.*  
*III ad ann. 1728*, p. 242. *sqq.* J. G LEUTMAN in *Com-  
ment. Petrop. T. IV, ad ann. 1729*, p. 216 *sqq.* J. C.  
WILCKE in *Kongl. Vetenfksk. Acad. nya Handl. T. III.*  
år 1782, p. 83, 84.

\*) Nominatum MONGE, ut videtur in *Neue Architektur-  
hydraulika von PRONY, aus dem Franz. von K. CHR.  
LANGSDORF, Frankf. am Main 1794, 1 Tb. 280 S. not.*  
Et von ARNIM in *Annalen der Physik, herausgegeben  
von L. W. GILBERT, Halle 1800, 5 B. 1 st, 64 S.*

tiones vitri pro caloris gradibus intra puncta congelationis et ebullitionis aquae computavimus, lectoris aequali censuræ jam submittimus.

Diversam Physici invenerunt absolutam vitri dilatationem quando augetur hujus calor a temperatura aquæ conglaciantis ad temperaturam ebullitionis, cuius rei causam esse multiplicem judicamus. Primo machine, quibus mensuratae sunt dilatationes, omnibus aequali exactæ certe non fuerunt. Omnis enim inventionis machinarum historia testatur, instrumenta primum inventa in plures induxisse errores, qui usu quotidiano sunt detecti et machinis perficiendis occasionem praebuerunt. Deinde quoque a dilatatione pro parva mutatione temperaturæ, experimento inventa, computarunt dilatationem pro majori differentia caloris, supponentes, gradibus Thermometri proportionalem esse ubique dilatationem vitri, in qua re eos falli patet ex experimentis recentiorum. Ulterius non indicarunt, quanta esset tempore observationis pressio aëris atmosphærici, quare, quando in aqua ebulliente est dimensa dilatatio, nisi Thermometro est observatus calor, temperatura aquæ et vitri satis exacte non innotuit. Notum enim est, premente fortius aere atmosphærico, calorem aquæ ebullientis majorem esse quam in aere rariore vel minus elastico, etiam si quidem non magna sit differentia temperatarum. Has res per-

pendentes recentiores, qvibus etiam in primis contigit exactioribus uti instrumentis, accuratiora certe instituisse credimus experimenta, qvare maximam fidem deberi putamus observationibus, qvas de hac re instituerunt D:ni SMEATON (<sup>o</sup>) et VON HERBERT (<sup>oo</sup>). Posita longitudine vitri in aquæ conglaciantis calore = 1, invenit ille in ebullientis temperatura augmentum longitudinis (<sup>ooo</sup>) esse = 0,00083, hic vero = 0,00086. Si horum numerorum medium sumimus arithmeticum, habebimus proxime 0,00084, qvam satis exacte determinatam esse putamus dilatationis vitri quantitatem.

Si caloris gradibus, qvos ostendit Thermometrum, proportionalis esset expansio vitri, pro qvo vis supra punctum congelationis gradu e. gr. in Thermometro Celsiano esset dilatatio vitri = 0,0000084, et pro  $n$  gradibus = 0,0000084 $n$ . Observavit autem D:nus DE LUC (<sup>oooo</sup>), celerius dilatari vitrum, qvam secundum indicium Thermometri crescit calor,

<sup>o</sup>) Vide: *Philosophical Transactions, Vol. XLVIII. Part. II, for the year 1754.* p. 612.

<sup>oo</sup>) Cfr. *Diss. de igne, Wienn.* 1773. 8.

<sup>ooo</sup>) Non voluminis, ut habet GREV in *Grundriss der Naturkunde, 4:te ausgabe, Halle* 1801, §. 555.

<sup>oooo</sup>) Vide: *Philos. Transact. Vol. LXVIII For the year 1778 Part. I. p. 478.*

Ior, ut pro qvovis intervallo decem graduum in Thermometro Reaumuriano a  $+10^{\circ}$  ad  $+70^{\circ}$  dilatationes esent proportionales numeris 19, 22, 24, 26, 29, 31. Immobiliter nimirum machinæ cuidam affixit extremitatem unam laminæ vitræ, et Microscopium instructum Micrometro, qvod ex filis parallelis constitit, ita prope laminam posuit, ut variationes longitudinis vitri in altera ejus extremitate observare posset. Cochlea Micrometri semel circumacta filum in foço lentis Microscopii percurrende invenit spatum =  $\frac{1}{1000}$  pedis Angli, et qvum variationem decimalium hujus rotationis partium animadvertere posset, observare ei licuit variationem longitudinis vitri =  $\frac{1}{1000}$  pedis Angli. Adeo itaque exactas censemus mensuras has D:ni DE LUC, ut omnem illis fidem tribuendam esse judicemus, quare iis in invenienda regula interpolationis uti nos debere putamus.

Apparet, laminam vitream, qvæ in temperatura  $+10^{\circ}$  Reaumurii 18 pollices Angl. longa erat, aucto calore aquæ, in qua inspiciebatur, ita dilatata esse, ut in observando facta sit

	inter	rotatio Cochleæ
		micrometricæ
10° & 20° Reaum.	—	$\frac{19}{20} = 0,95$
20 — 30	—	$\frac{22}{20} = 1,10$
30 — 40	—	$\frac{24}{20} = 1,20$

40 — 50	—	—	—	$\frac{26}{20} = 1,30$
50 — 60	—	—	—	$\frac{29}{20} = 1,45$
60 — 70	—	—	—	$\frac{31}{20} = 1,55$

unde ductis numeris rotationum in  $\frac{1}{6000}$ , invenitur  
dilatationis quantitas  
inter in ped. Angl.

10° & 20° Reaum.	—	—	—	0,00011875
20 — 30	—	—	—	0,00013750
30 — 40	—	—	—	0,00015000
40 — 50	—	—	—	0,00016250
50 — 60	—	—	—	0,00018125
60 — 70	—	—	—	0,00019375.

Hinc vero, in summam redactis omnibus præcedentibus dilatationis quantitatibus, habetur vitri 18 poll. seu 1,5 ped. Angl. longi ad gradum Therm. Reaum.

dilatatio in ped. Angl.				
0,00000000	—	—	—	10
0,00011875	—	—	—	20
0,00025625	—	—	—	30
0,00040625	—	—	—	40
0,00056875	—	—	—	50
0,00075000	—	—	—	60
0,00094375.	—	—	—	70

Posita vero longitudine vitri = rad<sup>2</sup> 10<sup>6</sup> Reaum.<sup>o</sup>  
erit fatis accurate

ad gradum

Thermometri	dilatatio
+ 10	0,00000
20	0,00008 = $\frac{8 \cdot 8 + 1}{100000}$
30	0,00017 = $\frac{3 \cdot 8 + 1}{100000}$
40	0,00027 = $\frac{4 \cdot 8 + 1}{100000}$
50	0,00038 = $\frac{5 \cdot 8 + 1}{100000}$
60	0,00050 = $\frac{6 \cdot 8 + 1}{100000}$
70	0,00073 = $\frac{7 \cdot 8 + 1}{100000}$

Jam vero animadvertisit, quantitatis dilatationem experimentis partem priorem ita a gradu Thermometri, cui respondet, pendere, ut posito hoc gradu =  $x$ , dilatationis pars haec sit =  $\frac{8(\frac{1}{10}x - 1)}{100000}$ . Nu-

meratores autem fractionum, quae posteriorem partem dilatationis constituunt, sunt numeri triangulare, qui ita a gradu  $x$  Thermometri derivari debere videntur, ut ordinem eorum exprimat quantitas  $\frac{1}{10}x - 2$ , adeoque magnitudinem quantitas  $\frac{(\frac{1}{10}x - 2)(\frac{1}{10}x - 1)}{2}$  ( $^{\circ}$ ). Habetur itaque gradui calor.

\* Cfr. *Elementa d'Algebre par L. EULER, traduits de l'Allemand, à Lyon 1774, T I. p. 344, § 428.*

$$\text{foris} = x \text{ respondens vitri dilatatio} = \\ \frac{8(\frac{1}{10}x - 1) + \frac{x}{2}(\frac{1}{10}x - 2)(\frac{1}{10}x - 1)}{100000} = \frac{(x-10)(x+140)}{20000000}$$

qvæ formula omnibus allatis D:ni DE LUC observationibus satisfacit, et supponit, longitudinem vitri in calore  $\pm 10^{\circ}$  Reaum. esse  $= 1$ , adeoqve ejus dilatationem tum  $= 0$ .

Ut autem formulam nostram ita comodiorem constituamus, ut in calore aquæ congelantis sit longitudo vitri  $= 1$ , adeoqve pro  $x = 0$  fiat dilatatio  $= 0$ ; observandum est, maxime probabile videri, vitrum a temperatura  $\pm 10^{\circ}$  ad  $0^{\circ}$  secundum eandem legem ac a  $\pm 70^{\circ}$  ad  $\pm 10^{\circ}$  condensari, ut sine metu erroris assumi queat, usqve ad temperaturam aquæ congelantis nostram sese extendere formulam. Pro unitate itaqve illa nuperrime dicta sumatur di-

$$\text{latatio} = a + \frac{(x-10)(x+140)}{20000000}, \text{ qvæ pro } x=0 \text{ da-}$$

$$\text{bit dilatationem} = 0 = a - \frac{10 \cdot 140}{20000000}, \text{ et } a = \frac{7}{100000}.$$

Hac quantitate substituta, atqve reducta in aliam simpliciorem formula invenitur, pro observatis caloris gradibus  $x$  in Thermometro Reaumuriano, vitri dilatatio  $y$ . Est nempe  $y = \frac{(130+x)x}{20000000}$ .

Ex-

Exprimat in Thermometro CELSIU, in FAHRENHEITII  $w$ , et in DE L'ISLEI —  $x$  eandem caloris temperaturam, qvam  $x$  in Reaumuriano indicat, ob  $x = \frac{4}{5}u$ ,

$x = \frac{4(m - 32)}{9}$ , et  $x = 80 - \frac{8}{15}z$ , erit dilatatio vitri

$$y = \frac{(325 + 2u)u}{62500000}, \quad y = \frac{(521 + 2w)(m - 32)}{202500000},$$

$$y = \frac{(1575 - 4z)(150 - z)}{281250000}.$$

Secundum formulas has inventas facile computatur pro qvovis inter puncta congelationis et ebullitionis aquae gradu dilatatio vitri. Facta enim in temperatura aquae conglaciantis ejus longitudine = 1, habetur pro gradibus caloris in Thermometro Celsius observatis seqvens tabula:

Gradus Therm.	Longitudo vitri	Gradus Therm.	Longitudo vitri	Gradus Therm.	Longitudo vitri
0	1,000000	5	1,000027	10	1,000055
1	1,000005	6	1,000032	11	1,000061
2	1,000011	7	1,000038	12	1,000067
3	1,000016	8	1,000044	13	1,000073
4	1,000021	9	1,000049	14	1,000079

B

Gra-

<i>Gradus</i>	<i>Longitudo</i>	<i>Gradus</i>	<i>Longitudo</i>	<i>Gradus</i>	<i>Longitudo</i>
<i>Tberm.</i>	<i>vitri</i>	<i>Tberm.</i>	<i>vitri</i>	<i>Tberm.</i>	<i>vitri</i>
15	1,000085	44	1,000291	73	1,000550
16	1,000091	45	1,000299	74	1,000560
17	1,000098	46	1,000307	75	1,000570
18	1,000104	47	1,000315	76	1,000580
19	1,000110	48	1,000323	77	1,000590
20	1,000117	49	1,000332	78	1,000600
21	1,000123	50	1,000340	79	1,000611
22	1,000130	51	1,000348	80	1,000621
23	1,000137	52	1,000357	81	1,000631
24	1,000143	53	1,000365	82	1,000642
25	1,000150	54	1,000374	83	1,000652
26	1,000157	55	1,000383	84	1,000663
27	1,000164	56	1,000392	85	1,000673
28	1,000171	57	1,000400	86	1,000684
29	1,000178	58	1,000409	87	1,000695
30	1,000185	59	1,000418	88	1,000705
31	1,000192	60	1,000427	89	1,000716
32	1,000199	61	1,000436	90	1,000727
33	1,000206	62	1,000445	91	1,000738
34	1,000214	63	1,000455	92	1,000749
35	1,000221	64	1,000464	93	1,000760
36	1,000229	65	1,000473	94	1,000772
37	1,000236	66	1,000483	95	1,000783
38	1,000244	67	1,000492	96	1,000794
39	1,000251	68	1,000502	97	1,000805
40	1,000259	69	1,000511	98	1,000817
41	1,000267	70	1,000521	99	1,000828
42	1,000275	71	1,000531	100	1,000840
43	1,000283	72	1,000540		

Qvam

Qvam late extra terminos, intra qvos conti-  
nentur experimenta D:ni DE LUC, sine notabili er-  
rore extendi qveant formulæ nostræ inventæ, defi-  
cientibus ulterioribus experimentis certo determina-  
re non possumus. Id tamen hic observasse juvabit,  
corpora prope illam tantum temperaturam, in qua  
forma eorum aggregationis mutatur, ab ea lege di-  
latationis vel condensationis discedere solere, qvam  
alias seqvuntur, et qvæ pro eadem forma corpo-  
rum immutata esse invenitur. Qvum itaqve calo-  
ris gradus omnes, qvos Thermometris vulgaribus  
observamus, a temperatura liqvescentis vitri mul-  
tum distent, probabile nobis videtur, inventas re-  
gulas interpolationis adhiberi posse in omni tempe-  
natura, qvam indicat Thermometrum mercuriale.

